



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. Quantitas Scotiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

ribus & origine Scythæ erant. Vnde in versione Anglicâ Orosij per Regem Alfredum, semper pro Scotis legitur *Scythan*, quoniam voces illæ omonymæ. Dicta est item *Alban* & *Albain*, non ab Albano illo filio Brutis fabuloso, sed quasi *Allabany* voce antiquâ Scoticâ, hoc est, altera Hibernia, ob rationem infrâ propoundam, cap. 4 §. 1.

§. 2. Quantitas Scotiæ.

Latitudo eius defumitur ab vrbe Leucopibia *Vvithern*, ad Promontorium Orcada *Torfuti*, ac proinde excurrit ad 220. M. P. hoc est ferè centum Leucas Scoticas.

Longitudo autem, seclusis insulis, dicitur ex Promontorio *Bucquay-nesse* ad *Ardemouth-Head*; quæ distantia ad maiorem circumflexum reuocata dat 200. P. M. seu circiter 90. Leucas Scoticas.

De *Circitu* nihil statui potest, ob creberrima aestuaria.

§. 3. Qualitas Scotiæ.

REGIO tota frigidior, frigus tamen vaporibus existentibus ab aestuariis, atque paludibus infringitur. Hic nascitur nobile hordeum ex quo cervisia coquitur paris cum vino acrimoniae. Lupi hic ferociissimi, & nisi obstante generosi canes tota regio periclitaretur. Cervos innumeros alit, quorum audio in unâ venatione publicâ nobilium 1000. vel 1500. iugulari. In sylva Caledoniâ Boues Sylvestres candidi, leonum instar, iubati; sed omnino iam pauci, ob crebras nobilium venationes. Habent hoc singulare quod nunquam attingunt herbam quam homo tractarit, aut calcaverit.

Dat hæc Regio ferrum, plumbum, sulphur, argentum, lazulum, lanam exquisitissimam: imò etiam electrum, seu succinum in grandioribus massis ad partem Orientalem collectum.

§. 4. Lingua Scotorum.

Hic duplex lingua, *alia* eorum qui degunt in cultioribus locis, hæcque dialectus Saxonica est de quâ diximus in Anglia: *altera* est Scotorum sylvestrium qui degunt in montibus, hæcque Hi-

B b ij